Jahresbericht

über das

Gymnasium Dionysianum

zu Rheine.

III.

Schuljahr 1863—1864.

Von dem

Director des Gymnasiums

Dr. Grosfeld.

Inhalt:

Münster,

Druck und Papier von Friedrich Regensberg.

1864.

De Agamemnone Aeschyleo.

Quum libello, quo de rebus ad scholam pertinentibus referri solet, præfandi ad me delato munere cogitarem, quam potissimum rem pertractandam susciperem, Aeschyli imprimis illa arrisit tragœdia, quæ inscribitur Agamemnon. De hac autem fabula si quis nostro tempore scribere ausus fuerit, eum, non dubito, quin multi sint futuri, qui haud leniter carpant. Quorum in numero illos præcipue velim reponi, quos non fugit, quam multa sint de hac re ab ingeniosissimis doctissimisque viris cogitata et conscripta *). Quid enim insulsius videatur, quam acta agere? quid infacetius, quam vexata a multis ad nova ducere tormenta? Ego vero quum scribendi caperem consilium, sciebam neque nunc ignoro, unum idemque opus, quod arte perfectum est, alium aliter sæpe mirum quantum movere atque afficere ob eamque rem non raro de illo diversam exsistere opinionem atque iudicium. Neque facile esse ad intelligendum, quid sit id, ad cuius similitudinem artifices artem suam direxerint suoque opere quod consilium quamque cogitationem expressam esse voluerint, e tragœdia proposita licet luculenter videre. Nam ii ipsi, qui iure quodammodo pulchri venusti, veri recti arbitri habentur, de hoc ipso opere tam diversas protulerunt sententias, ut, cui tandem assentiaris, ægre animum inducere possis. Quare ipsum quemque intueri opus artificiosum eiusque ut vim interiorem perspiciat operam dare licebit. Multum enim temptando verum inveniri solet. — Cur autem tantopere hæserint in quæstione, quomodo Aeschylus de argumento suo cogitaverit, si quæris: aptissimum quidem hoc ipsum argumentum est ad metus, odii, misericordiæ sensus excitandos, sed nondum exploratum est et quæri oportet, quomodo tandem hi affectus in eum animi habitum semet ipso contentum atque purum dissolvantur, quem Aristoteles, quo non meliorem profecto auctorem artisque iudicem quærimus, *κάθαρσιν* vocat eamque tragœdiæ quasi cardinem esse et summam profitetur. Quam quæstionem num equidem sustinere possim, ne tum quidem, si scirem, fateri conarer. Utut res se habet, tantum abest, ut, quæ litteris mandavi, ea

*) Relego lectorem ad libellum minus quidem notum, quod sciam, sed qui iterum atque iterum legatur vel maxime dignum, illum dico, quem scripsit F. J. Scherer de Græcorum *ΑΤΗΣ* notione et indole. Monast. 1858. Is, quæ fuerit Græcorum *ἄτης* notio et indoles, tam egregie explanavit, ut vix quidquam melius de hac re dici possit. Idem in eodem libro de Orestiæ vi interiore ingeniose disputavit et opera virorum doctorum, qui illustrandæ huic fabulæ operam dederunt, laudavit. Eadem et mihi inspicere licuit. —

proinde accipi velim, ac si nihil verius dici posse putem, ut ita lubenter patiar iudicari, me non quod rectum sit scripsisse, sed quod quam maxime persuasum habeam. —

Priusquam autem respondeo ad id, quod suscepi tractandum, et consilium meum, quale sit propositum, et rerum, de quibus disputare in animo est, ordinem exponam.

Primum igitur de fabulæ, quæ fuit ante Aeschylum de tragœdiæ propositæ personis eorumque fatis, origine et natura dicam; deinde tragœdiæ argumentum ita exponam, ut eos potissimum locos consignem et interpreter, quibus cædis Agamemnonis causæ significatæ sint; denique inquiram, qua in re tragœdiæ vis interior posita esse videatur.

Ac primum quidem quod pertinet ad tragœdiæ personas eorumque fata, ex Homero perspicuum est, iam ante Odysseam excultam de his fuisse fabulam. Cfr. Odyss. α. 30, 298. γ. 193, 234, 255—275, 303. δ. 512—538. λ. 405—465. ω. 199. Ex his locis patent hæc: Agamemnon, Atrei filius, quum expeditionem contra Troiam susciperet, Clytæmnestram uxorem curæ custodiæque cantoris cuiusdam (*ἀοιδοῦ ἀνδρός*) mandaverat. At Aegisthus, Thyestæ filius, regnandi cupiditate impulsus, dum abest Mycenarum rex, versute in matrimonium petebat reginam. Quæ etsi diu suadente illo cantore amorum illecebris resistebat, tamen, corruptore non cessante in studio atque opere suo, postquam custos fidelis in insulæ cuiusdam vastitatem eiectus est, ab animo suo tandem impetravit, ut præter ius ac naturam matrimonium contraheret. Quo facto cum Aegistho in domum regiam, extrema Argorum parte sitam, abiit. Iam vero, quum gravis ab Agamemnone ultio extimescenda esset, e medio hunc tolli necesse erat. Itaque homo quidam, qui esset in speculis et redeuntem exercitum indicaret, mercede conductus est. Is postquam annum pervigilavit, tandem regis, fœda tempestate *« ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν, ὅθι δώματα ναῖε Θυέστης τὸ πρίν, ἀτὰρ τότ' ἔναιε Θυεστιάδης Αἴγισθος, »* (cfr. Odyss. δ. 517) deiecti adventum renuntiat. Venienti obviam procedit Aegisthus vocatque nil præsagientem ad epulas. At perfidus convivator eiusque tætra uxor turpe moliuntur letum. Nam supra epulas viginti sicarii subito ex latebris consurgentes Agamemnonem eiusque socios opprimunt et necant. Ipsa Cassandra, quam ille captivam Troia secum duxerat, a Clytæmnestra gladio percutitur. Ubi tunc Orestes filius esset, Agamemnon Ulyxi apud inferos versanti dicere non potest. cfr. Odyss. λ. 463. Sed locus Odysseæ γ. 305 sq. satis demonstrat, illum octavo dehinc anno Athenis venisse et non solum Aegisthi, sed etiam matris cædem et occisionem fecisse eaque re (cfr. γ. 204) magnam sibi comparasse gloriam. Contra ea Tyndari filia, quæ coniugem necavit, tristibus celebratur carminibus. cfr. ω. 200. —

En antiquissima de tragœdiæ personis eorumque fatis. Ex cyclicis, quos vocant, poëtis, quod sciam, Hagias Trœzenius, et e lyricis Stesichorus Himeræus eandem fabulam tractarunt. Quibus quæ debeat Aeschylus, expediri nequit. Iam quæritur, num talis fabula apta dignaque fuerit, quæ ad scenam componeretur. Hominem, regio semine ortum, ut in alienas involet possessiones, depravare et corrumpere reginam et cum ea legitimum maritum obtruncare, vulgare atque fœdum est. Neque minus vulgare atque fœdum est, reginam, amoris stimulis agitatam, eo furoris venire, ut auxilii inopem captivam ante oculos moribundi mariti gladio percutiat. Tales autem res, quibus spectatorum gustatus bo-

nitasque naturæ violari posset, in Græcorum scenis non agebantur. An Aeschylum putas, quem constat primum ut vere philosophum fabulas ad certam quandam disciplinæ formulam composuisse et in faciendis tragœdiis nulla alia re nisi honestate ductum esse, quo erat ingenio atque gustatu, talia fœdidatis monstra depingere et in scenam producere potuisse? Aut mutari oportuit receptam ab Homero fabulam, aut omnino non adhiberi ad faciendam tragœdiam. Nova quædam et invenienda et addenda erant, quibus horrenda illa cædes probari videretur. Quæ qualia fuerint, paucis videamus. Apud Pindarum legimus, Clytæmnestram manibus filiæ suæ, a patre ipso immolatæ, sanguine mariti parentare voluisse. cfr. Pyth. XI. Hoc carmen Olymp. 75, 3 conditum est. Aeschylus fabulam suam Olymp. 80, 2 dedit. Veri simile igitur est, quod primus ille excogitaverit, id Aeschylum recepisse, præsertim quum eodem carmine aliæ quoque sententiæ contineantur, quæ ab huius tragœdia non sunt alienæ. Deinde vero, cur Iphigenia immolanda esset, iustam oportuit causam inveniri. Quam ob rem poëta Dianam irascentem et expeditionem contra Troiam susceptam remorantem facit nec prius iram sedantem, quam dux exercitus suam ipsius filiam immolavit. Cur autem dea irascatur, postmodum apparebit. Denique Aeschylus suam de rebus divinis et hominum propria natura egregiam opinionem ita intexuit fabulæ, ut ea quasi fundamento totius tragœdiæ ars nitatur. Quæ quidem opinio qualis fuerit, paucis exponendum est.

Antiquissimis temporibus dubium non est, quin homines ea fuerint opinione imbuti, ut naturali quadam et immutabili necessitate, quæ ipsa et cæca esset et dira maximeque in ipsius naturæ viribus obscuris cerneretur, et omnia teneri et singulorum hominum sortem regi opinarentur. Aeschylus autem et cum eo homines eiusdem ætatis doctiores ac sapientiores non iam tam capti mente erant, ut omnia dira quadam naturæ potentia et cæco casu evenire sibi persuaderent. Hi fatum illud, quam Græci *μοῖραν* vocabant, summum quoddam rerum principium et ordinem divinum intelligebant et aliis persuadere studebant, in hominum omni vitæ conditione, consiliis, sorte cerni quidem supremi numinis vim ac potentiam neque quidquam prorsus nolente hoc ipso numine fieri et agi, sed tantum abesse, ut homines in agendo temeraria quadam necessitate aut impedirentur, aut ipsi nolentes ad agendum cogerentur, ut omnia suo quisque consilio et voluntate susciperent atque exsequerentur. Est igitur ex Aeschyli sententia hominis liberum arbitrium, at id quidem non absolutum, ut omnino ille sui iuris sit, sed datum ac permissum, ita ut finibus, intra quos agendum est, coerceatur. Quos quum nimis viribus suis confidens excedit violatque insolens atque superbus aut rerum ordinem divinum aut iustas hominum leges atque instituta, non procul abest numinis divini inexorabilis iustitia, quæ punit atque supprimit omnia, quæ modum præscriptum egrediuntur, nec ullam ordinis divini aut humani perturbationem inultam atque impunitam esse pati potest. Ergo qui facit et peccat, is pœnas luat necesse est, ut par pari referatur. Quin imo filii, nepotes, pronepotes delicta maiorum suo interitu luunt, nisi forte dei alicuius gratia ac favore culpa tandem libe rantur. Nam illæ noxæ, quæ si inultæ manerent, rerum ordinem et æqui æternam legem prorsus subversuræ essent, tantum abest, ut ullo possint piaculo solvi, ut iis culpa tri-

buatur inexpiabilis. Inde in familia scelerata, quæ multa nefarie fecit, noxæ videntur hereditariæ esse et alia aliam progignere culpam. Quæ quidem continuatio seriesque noxarum indeque orientium calamitatum, quum cerneretur, apud Græcos eo valebat, ut de Alastore quodam cogitarent, qui de eadem stirpe homines ad novam semper culpam compelleret atque pelliceret. Is autem Alastor proprie vereque nihil aliud est, nisi una eademque prava natura, quæ per totam aliquam familiam regnat ac viget. Talem Alastorem, qui sacris christianis imbuti sunt, concupiscentiam vel adeo, si placet, diabolum familiæ recte vocabunt. Quomodo autem fiat, ut bona in homine natura comprimatur et prava illa voluntas peccandi exsurgat, si quæris: stimulant aut res internæ, velut incestus amor, ulciscendi cupido, ambitio, aut externæ, velut regna, divitiæ, honores, et mentem perturbant atque obcæcant. Homo autem si huius Alastoris impulsu se ferri patitur rerumque illecebris captus mala facinora committit, non insons sed sua ipsius culpa occupatus est et Furiarum, quæ conservando rerum ordini præsunt, iræ atque insectationi permittitur.

Sed vereor, ne in rebus apertis nimium longus sim. Quare satis erit memorasse, Aeschylum hanc suam de rebus divinis, de hominum libero arbitrio, de Alastoris denique vi ac natura egregiam opinionem tragœdiæ quasi fundamentum fecisse.

Sequitur, ut ex instituti mei consilio de ipsa tragœdia et loquar fusius et disseram accuratius.

Poëta per totam tragœdiam rerum conditionem ita finxit, ut anxia quædam exspectatio calamitatis cuiusdam Agamemnoni imminentis spectatorum animos occupet. Quam quidem exspectationem primum movet excubitor, quem Clytæmnestra anno prius, quam Troia capta est, inito cum Aegistho adulterio, verens, ne Agamemnon ex improviso e bello rediret, in regiæ domus tecto constituerat, ut, quando ille adveniret, statim denunciaret. Faces in longitudinem maris Aegæi multæ erant in speculis accensæ, quarum ubi ille proximam videt, quamvis expugnatæ Troiæ signo lætatur, tamen non potest, quin domus regiæ calamitatem quandam præsagiens sic verba faciat: «Utinam mihi contingat regi redeunti dexteram porrigere! Reliqua autem reticeo; magnus enim bos in lingua. Domus autem ipsa, si vocem acciperet, apertissime loqueretur.» (cfr. v. 35 sq. edit. Schuetzii). Quibus verbis clarum est non solum fortunam afflictam, quæ iam in domo regia est, (Clytæmnestræ et Aegisthi adulterium) verum etiam illam significari, quæ propter hoc ipsum adulterium reduce Agamemnone futura esse possit. Timet excubitor et regi et reginæ totique regiæ domui. Vides, quam non inscite poëta ab initio spectatorum animos metu implere studeat. Multo autem magis anxia illa, quam dixi exspectatio animi commotione movetur, quam chorus declarat. Præclare enim hic ita effictus est, ut per totam fabulam metu atque cura de Agamemnonis fortuna imbutus sit. Calamitatem igitur quandam imminere, spectatores coniectura augurari poterant. Sed reliqua ordiamur.

Clytæmnestra simul ac de iis, quæ vidit excubitor, certior facta est, simulacris deorum ante regiam domum constitutis sacra facit, non quo gratiam referat diis pro victoria Agamemnoni data, — hoc facit specie, non reapse — sed supplicet iis, ut, quam moliatur, cædi faciendæ adiutores sint. Cuius rei nuncio audito, senes Argivi, quibus chorus

constat, ut causam sacrificandi comperiant, ad palatium se conferunt. Quibus in scenam progressis Coryphæus decimum iam annum esse dicit, ex quo Atridæ, a Iove hospitali missi, ut Alexandrum pro iniuria accepta ulciscerentur, expeditionem contra Troiam susceperint. Utcunque res se habeat, perfectum iri, uti destinatum sit; neque enim scelus semel patratum inultum esse neque ullo piaculo placari posse v. 40—83. Hæc Chori sententia gravissima est, quæ ceterarum quasi familiam ducit et per totam valet tragœdiam. —

Clytæmnestra, a choro interrogata, cur sacrificia peragat, nihil respondet. Dubium non est, quin nutu significet, se nolle interpellari. —

Interea chorus a versu 106 cantico longo inserit embolium, quo de duabus aquilis, Atridis oblatis, de Calchantis vaticinio, de Iphigeniæ immolatione confabulatur. Atridis enim ante expeditionem susceptam non procul a palatio a dextera duæ apparuerant aquilæ, gravidam cum ipsa prole comedentes leporem. Calchas vates, statim Atridas leporis devoratores cognoscens, Priami quidem urbem captum omnesque eius opes direptum iri vaticinatus erat, simul autem timorem spectantibus incusserat, ne qua calamitas, divinitus missa, Græcorum exercitum retineret. Almam enim Dianam, quæ faveret catulis feris, aquilis illis irasci timendumque igitur esse, ne quæ Danais adversæ navigandi difficultates mitterentur et pro devorata lepore expostularetur aliud quoddam infaustum sacrificium «*νεικέων τέκτων ὀλεσήνωρ.*» —

Diana igitur succensebat Atridis, non quo suscipi expeditionem nollet, — bellum enim Alexandro inferendum iustum erat — sed quia oderat aquilarum epulas. Cur oderit, si quæris: respondet præco ille, quem Agamemnon præmittit, ut se adventurum renunciet. Is in scenam progressus: «*σπέρμα*», inquit, «*πάσης ἐξαπόλλυται χθονός.*» cfr. v. 525. Præviderat igitur dea, quod postea factum est. Atridarum tanta est crudelitas, ut totius terræ troianæ semen exstinctum et ne matribus quidem earumque infantibus parcitum sit. Quæ res iam ante bellum confectum deæ genitalis suscitat iram. —

Quod autem attinet ad verba «*νεικέων τέκτων ὀλεσήνωρ*», cogitat vates de Iphigeniæ immolatione, ex qua nova rixarum causa, virum necans, nascitura sit. «Manet enim reducem metuenda domus custos dolosa (Clytæmnestra), filiæ vindictam exactura.» cfr. v. 147—155. —

Quamquam chorus Calchantis verbis Clytæmnestram, filiæ necem vindicaturam, intellectam esse non animadvertit, tamen calamitatem quandam imminere animo præsagit ob eamque rem usque ad exitum tragœdiæ metu impletus est. —

Quæ vates prædixerat, acciderunt. Exercitus Græcorum Aulide malacia retinebatur. Calchas Dianæ iram non placari nisi Iphigeniæ immolatione dixit. Tum vero Agamemnon: «Gravis», inquit, «calamitas est non parere; gravis vero, filiam, domus ornamentum, mactare. A sociis autem deficiens fiamne classis desertor?» cfr. v. 205—214. Ne multa. Iphigenia immolatur. Juppiter Agamemnonem non solum prodigiis et maris tranquillitate, verum etiam postulatione, qua filiam ducis immolari voluit, satis superque monuerat, ut bello Troianis inferendo absisteret aliique gerendum relinqueret. At ille hocce monitum

aspernatur atque respuit. Subit rex iugum necessitatis (*ἀνάγκας ἔδυ λέπαδνον*) i. e. bellum non potest quin gerat, quod ipse necessarium habet. Ex chori autem sententia spirat animi ventum impium, incestum, profanum, unde ad quidlibet audendum prompti fiant mortales. Qui simul ac consilium cepit pervincendi voluntate, ne bello absisteretur, supremam fœditatem non reformidat, quoniam mentis cæcitas, quæ primam sequitur noxam, audaces reddit homines ad quodlibet flagitium. cfr. v. 208—214.

Sed hic quæret quispiam, Atridæ nonne missi sint a Jove hospitali, quin adeo coacti necessitate, ut expeditionem susciperent. — Non coegit deus, sed tantum concessit, ut susciperent idque ea quidem conditione, ut puniendi officio imperatorio satisfacientes ne aliud maius officium violarent. Neque Diana Iphigeniæ immolationem postulans Agamemnonem dira sua voluntate ad filiam sacrificandam protrudit, sed facturus quid ille esset, tantummodo tentavit. Quodsi Agamemnon sua potius, quam filiæ morte iram deæ voluisset placare, non est dubium, quin hæc misericordia mota, monens tantum, ut nimia crudelitate abstinerent, omne expeditionis impedimentum removisset. Sed tantum abfuit, ut naturale pietatis vinculum dirimi non pateretur amoremque paternum suo ipsius interitu confirmaret, ut animi duritie, qua tota Pelopidarum gens insignis erat, et ipse mirum quantum excellens filiam morti dare non dubitaret. Sed pergamus reliqua. —

Chorus etsi de iis, quæ postea evenerint, nihil sese comperisse dicit, tamen Iphigeniam immolatam esse pro certo habet; nam «*τέχναι Κάλχαντος οὐκ ἄκραντοι.*» cfr. v. 245. Iam Clytæmnestra accedit et Troiam captam esse enarrat. Atque victorum miseriam describens, Argivorum autem fortunam prædicans: «Argivi,» inquit, «si pie victæ terræ coluerint deos eorumque delubra, non fortasse, quum prius ceperint, ipsi postea capientur. Opto autem, ut exercitum lucri cupidum amor ne invaserit diripiendi, quæ non decet. Si vero exercitus diis obnoxius redierit, fieri facile potest, ut clades eorum, qui perierunt, ad vindictam excitet.» v. 337—346. — Vides, quam non obscure hic primum Iphigeniæ immolationem tangat. Etiam significat, Argivos re vera perfecisse, quæ postea a præcone enarrantur. Nam «*βωμοὶ δ' ἄιστοι καὶ θεῶν ἱδρύματα καὶ σπέρμα πάσης ἐξαπόλλυται χθονός.*» v. 521—526. —

Postquam abiit Clytæmnestra, chorus Jovi hospitali, qui iuris hospitalis, turpiter a Paride violati, vindex exstiterit, gratias agit additque gravia verba, eum non esse pium, qui opinetur, deos eorum neque curare neque ulcisci facinora, qui quod sanctum sit nefasque violari, conculcent. Neque divitias atque opes eos defendere ab interitu, qui nimia imbuti fiducia, contra ius superbiant. Huius rei testem esse Paridem, qui Helena seducta ius hospitale violaverit. v. 360—401. Describit deinde Helenæ fugam et Menelai ob hanc ipsam causam moestam tristitiam. Tum vero hos quidem ait dolores in ipsis regiis ædibus (Menelai) fuisse; his vero multo esse maiores. Nam propter eos, qui e terra græca profecti sint, mœrorem, animum affligentem, in cuiusque domo agitari. Pro viris enim arma et cineres in singulorum domos reverti ob eamque causam multos esse, qui indignantes fremant et invidia Atridarum, litis auctorum, repleti sint. Itaque invadere se curam, ne quid audiat atri. Neque enim eos, qui multos occiderint, a diis non conspici,

neque Furias eos, qui spreta iustitia fortunati sint, non præcipitare in exitium. Quare fortunam se præferre, cui non invideatur. v. 401—470. —

Hæ chori sententiæ, quarum similes apud Pindarum l. c. invenimus, non dubito, quin eo consilio prolatæ sint, partim ut spectatores a violando iure divino atque humano deterreant, partim eos exspectatione erectos metuque suspensos teneant. Paris, quod sanctum est, conculcavit. Eum divitiæ atque opes non defenderunt ab interitu. Agamemnon pro una Helena et in gratiam unius Menelai multorum profudit sanguinem idque civium iniuria fecit. Spectatores igitur quærent: «Hanc culpam nimiane forte felicitate atque opulentia confisus in se contraxit? Et si res ita se habet, felicitasne atque opulentia eum a civium invidia tuebuntur?» Sed haec quæstio non persolvitur. Neque id iniuria. Nam de Aeschyli sententia Agamemnon civium sanguine profuso insigne quoddam malum facinus non perpetravit. Immolatio tantum Iphigeniæ imprimis premitur. v. 246—253. Non igitur invidia civium, sed aliis causis interibit. —

Clytæmnestra iterum in scenam prodit et sese præconem ait conspicere a littore venientem, qui iam vera nunciaturus sit. Is igitur gaudio exsultans Troiam re vera captam omneque semen terræ exstinctum esse affirmat. Et ipse quidem chorus lætatur, sed moesto se ex pectore sæpe suspirasse queritur. Interrogante præcone, quæ causa fuerit ægritudinis, fortene absente rege fuerint, quos timuerit, se dudum molestiarum lenimentum non habere nisi silentium profitetur. v. 486—545.

Quibus verbis hic primum rerum conditionem, qualis in ædibus regiis est, haud obscure tangit.

Clytæmnestra lætatur et triumphat, quod nocturno illo igne non sit decepta, et se coniugem e bello redeuntem quam optime excepturam esse simulat. Quin addit mendax ore impudenti, fore, ut Agamemnon fidam intus uxorem et benevolam custodem inveniat. Neque enim cum alio viro ullam se habere consuetudinem. Quo quid impudentius? Nam mentiri eam et spectatores sciunt et chorus, in ludibrium vertens eius verba, apertissime significat. v. 585— 614. —

Clytæmnestra digressa chorus sciscitatur de Menelao. Cuius percontationis quid causæ sit, facile intelligitur. Primum enim Menelaus frater est Agamemnonis et cum eo in eadem terra regnat; quam ob rem de eo quæri, consentaneum est; deinde vero culpæ, quam ille in se contraxit, quodammodo particeps est. Recte igitur spectatores quærent, utrum punitus sit, nec ne. Postremo autem poëta, quod, fœda illum tempestate vexatum ad Aegyptum usque deiectum esse suasque iam solvisse pœnas, præconem enarrantem facit, id assecutus est, ut ex fabula, quam actuosiorem fieri noluit, excludi potuerit. —

A versu 677 sequitur canticum, quo chorus Græcorum expeditionem, Troiæ funestam, sumptamque de violato iure hospitali vindictam celebrat. Tum vero ad locum communem et, ut ita dicam, dogmaticum transit et totius tragœdiæ prodit sententiam gravissimam. Veterem ait esse opinionem, qua credatur, a nimia felicitate non procul abesse miseriam; sibi autem ab aliis dissentienti prorsus aliam stare sententiam. Iustas enim familias semper

esse fortunatas; at impium quoddam facinus plura deinceps parere mala facinora primo similia. —

Hæc sententia cum altera illa, quam dixi, scelus semel patratum non inultum manere neque ullo piaculo posse placari, quum prima omnium quasi familiam ceterarum ducit, tum vero declarat, quam non ambigue poëta contra vulgarium opinionem dicat, qui felicitate necessario miseriam pari et deos fortunatis hominibus invidere opinentur. De Aeschyli sententia deorum invidia prorsus nulla est. Qui si dicuntur invidere, non invident, sed non patiuntur, quemquam ultra modum humanum egredi. —

Iam Agamemnon Cassandram, Priami regis filiam secum ducens captivam in orchestram provehitur et a choro iusto modo salutatur. Tum vero coryphæus se regi gloriam neque invidere neque eam laudare neque eorum probare consuetudinem velle, qui ne tacto quidem animo cum infelicibus gemere et cum lætis simul lætari soleant, libere profitetur. Ex quibus verbis elucet, eum ita animo esse affectum, ut Agamemnonis expeditionem nunc quidem nec probare nec vituperare velit, Clytæmnestræ vero fictam humanitatem quin leniter perstringat, tenere se non possit. v. 778—800. —

Agamemnon deinde omnium primum fas esse dicit, Argos deosque patrios salutare, quibus volentibus et auxiliantibus et pœnam de Priami urbe exegerit et salvus domum redierit. Gratias igitur agit diis pioque eos animo colit. v. 805—850.

Interea Clytæmnestra in scenam progressa atro sane animo verbis supra modum blandis summum mariti absentis desiderium summamque propter eius reditum lætitiam simulat. Orestem, coniugalis fidei pignus, se Strophio Phocensi in tutelam tradidisse dicit, ut, si pater in bello occideret et civium exinde concitaretur seditio, filius ne in vitæ periculo versaretur. Postquam tandem fictum erga regem amorem caritatemque ad tædium usque cumulavit summasque in illum laudes et blanditias coniecit, servas iubet vestibus stragulis viam sternere et maritum rogat, ut calcet eas pedibus et in regias aedes sese conferat. Agamemnon vero tantos honores, mortalem non decentes, diis tribuit et submisso animo rogat, ne quid admittatur, quo deorum hominumque invidia excitari possit. Nec tamen urgentis uxoris precibus prorsus resistere potest. Itaque concedit, ut calceis a pedibus solutis in purpure incedet Clytæmnestram, cuius curæ Cassandram commendat, comitantem in palatium consequitur. v. 850—968. —

Domus regia in fastigio felicitatis est. Nihilo minus chorus anxius est metu. Iam ei in mentem venit Calchantis oraculum supra commemoratum. Agamemnonem dicit rediisse quidem incolumem, sed sanitati vicinum esse morbum et sæpe hominis felicitatem ad occultos allisam scopulos frangi. Si sanguis humanus semel profusus sit, revocari eum ad vitam nullo modo posse. v. 970—1026.

Clytæmnestra e palatio in scenam redit et Cassandram iubet de curru descendere et in ædes introire. At hæc tacita in curru remanet. Quare Clytæmnestra insanire eam et malo superboque animo inservientem non prius ad frena ferenda adactum iri, quam sanguine ferociam perluerit, per ludibrium locuta in palatium regreditur. v. 1026—1060.

Tum vero Cassandra, vates illa misera, quæ ab Apolline divinatione donata, futura mala semper canit, sed a nemine fidem sibi conciliare neque calamitatem, quam prævidet, averruncare potest, quasi acri dolorum morsu cruciata, ad lamenta vocesque tam miserabiles edendas aperit ora, ut vel sanum chori animum percutiat atque consternet. Ac primum quidem iden idem Apollinem, quem suo fefellerit amore, suam appellat perniciem. Deinde vero, ubi a choro certior facta est, se ad ædes Atridarum venisse: «Ad domum igitur,» inquit, «diis odiosam, cædium sibi consciam, sanguine redundantem?» v. 1082—1085. Tum pueros Thyestæ, cædem suam deflentes et carnem assatam et a patre comesam conspicere sibi videtur. Paulo post exclamanti, quid novæ calamitatis mulier in ædibus moliatur, cuius procul sit defensor (Orestes), chorus respondet, se hæc quidem vaticinia non intelligere, illa vero, quæ dixerit de Thyestæ pueris, iam novisse; de hac enim re totam clamare urbem. v. 1091—1097. Quo facto Cassandra, qua ratione uxor trucidatura sit maritum, animi videns acie, in balneo eum inextricabili irretitum velamento moriturum esse vaticinatur suamque ipsius mortem clarissime prædicit. Tum suam, quæ nunc sit, sortem deplorans, memor pristinæ felicitatis, Paridis nuptias exitiales exsecrans, ad Acherontis ripas sese mox vaticinaturam esse queritur additque gravia verba, ex hisce, quas videat, ædibus (Atridarum) nunquam secedere Furias, sed sanguine humano inebriatas *πρώταρχον ἄτην* semper canere i. e. Thyestæ cum Aeropa, Atrei uxore, adulterium et Atrei horrendum facinus. v. 1097—1186. Non multo post iterum pueros ædibus assidentes, carnem suam, a patre gustatam, manibus tenentes conspicit. Inde ait fieri, ut leo quidam timidus, domi desidens, in lecto geniali (Agamemnonis) volutatus (Aegisthus) ultionem venienti domino suo meditetur et monstrum quoddam invisum (Clytæmnestra) speciem lætitiæ ob mariti reditum felicem præ se ferens fœda facinora moliatur. v. 1206—1230. Quum autem chorus se Thyestæ epulas ex filiorum carne paratas intelligere, reliqua non intelligere dicat, Cassandra; «Agamemnonis», inquit, «cædem videbis.» v. 1238. Tum interrogata, quis tandem tale facinus patraturus sit: «Bipes», inquit, «illa leæna (Clytæmnestra) cum lupo (Aegistho) cubans et generosum illum leonem (Agamemnonem) et me ipsam, quod me pellicem adduxerit, vindictam sumens trucidabit.» v. 1250—1256. Denique postquam nec semet ipsam neque Agamemnonem inultos morituros, imo cædis venturum esse vindicem, qui calamitatum seriem clausurus sit, vaticinata est, iam nullo chori monitu retenta, firmo animo mortem exspectans, vitæ humanæ vicissitudines conquesta: «Satis», inquit, «victum est» et in palatium digreditur. v. 1256—1322.

Recte hic quæritur, quid sibi velit Cassandra et quorsum eius spectent visa atque vaticinia. Primo enim obtutu supervacanea esse persona totique fabulæ aliena videtur Sed caveamus, ne præpropere iudicemus. Etenim quum animo complector, tres reperio causas, cur in scenam vates producta sit. Ac primum videsne, quam ingeniosus sollersque in arte sit poëta? Qui quum non ignoraret, non posse illa, quæ intus in ædibus Agamemnon pateretur, in scena agi, pro illo substituit Cassandram, quæ eandem cum illo communicatam sortem habitura cogeret quodammodo spectantes fabulam, quum ipsam viderent dolentem, ut Agamemnonis quoque dolores simul sentirent et metu misericordia-

que permoverentur. Est hæc divina ars poëtæ. Quid quod etiam scelerum architectorum agendi rationem eorumque necis instrumenta, balneum dico mortiferumque illud velamentum, ita nobis per vatem ostendit, ut hæc omnia quasi remotis versatilibus scenæ parietibus coram conspicere nobis videamur? Quid plura? Ars tragica postulavit personam, quæ sub oculos spectatorum illa subiiceret, quæ ipsi non spectarent. Deinde vero infra apparebit, Clytæmnestram et Aegisthum rem quandam narrare, quam ut credamus, prorsus non adducimur, eam dico, Agamemnonem patris etiam culpæ pœnam pendere. Etenim vati huic insonti fidem habemus, illis vero peccatoribus non habemus. Denique poëta vatem captivam re vera Agamemnonis pellicem apparere voluit, ut Clytæmnestræ animum stimulis amoris concitaret. Sed hac de re postea; nunc de reliquo argumento.

Postquam Cassandra abiit, chorus insatiabile dicit hominum felicitatis esse studium. Etiam Agamemnonem sua sorte non contentum fuisse, sed pristinam fortunam bellica gloria cumulasse. Cui fortunato si eorum, qui in eius domo cæsi sint, sanguis expiandus sit, neminem mortalium iam gloriaturum, sese «*ἀσινεῖ δαίμονι*» natum esse. v. 1323—1335.

Subito audiuntur Agamemnonis intus moribundi clamores. Chorus liceatne ex illis, quos audiverit, eiulatibus periisse regem coniicere ambigens, explorandum statuit, quomodo Agamemnon se habeat. v. 1338—1363. Qua re consilii inopiam satis demonstrat.

Machina quadam versatili, quod *ἐκκύκλημα* vocatur, interiores ædes ostenduntur. Clytæmnestra iuxta funera stans ut antea marito fidem se per omne tempus servasse simulavit, sic post cædem tanta est ferocitate atque protervitate insignis, ut non mediocri natura mulierem, sed quasi Furiam conspicere tibi videaris, et haud scio an nunquam ingenium poëticum ad talem improbitatis speciem exprimendam evolaverit, qualem in hac furibunda et atroci muliere pingenda effinxit. Dum in facinore patrato gloriatur, sophistica quasi arte mentem suam obcœcare rationisque iudicium corrumpere studet. Tum demum, quum chorus populi ei exsecrationem et exsilium et diram ultionem minatur, animum paulatim compescit cædemque et excusare et iustam prædicare cœpit. Sed nihil timet; nititur enim rei iustitia et Aegisthi (hoc loco primum commemorati) benevoli sibi auxilio. v. 1362 sq. Videamus, quas potissimum geminæ cædis causas premat. «Crateram,» inquit, «quam multis malis replevit, reversus exhausit.» v. 1388—1390. —

At quænam sunt illa mala — *κακὰ ἀραῖα ἐν δόμοις* —? Dolores significat ex Iphigeniæ immolatione sibi paratas. Nam «filiam,» ait, «carissimam mihi prolem, ut Threicios placaret ventos, immolavit» v. 1409 sq. Cumque chorus mentem eius, quasi sanguinis haustu inebriatam, nequidquam furere et mariti cædem cæde luendam esse dicat, per iustitiam, filiæ suæ vindicem, iurat, se nihil timere, donec Aegisthus in foco suo ignem accendat. v. 1424—1430. Non multo post quum chorus miserabilius regis mortem conqueratur: «Non indigna,» inquit, «mors huic contigit. Quid enim? nonne ipse *ἄτην* insidiosam in hasce ædes introduxit? Nonne filiam meam, ex eo susceptam, indigne tractavit? Ergo ferro necatus pœnam dat facinoris, quod prior ipse perpetravit. v. 1514—1523. Interrogante choro, quis sepeliturus sit regem: «Noli,» inquit, «huius rei curam gerere; nam per me cecidit, per me etiam sepelietur.» Acerba etiam ironia dissimulantiaque

addit verba: «Iphigenia, ut decet filiam, obviam veniens, apud Acherontem salutans patrem et amplexa osculabitur.» v. 1514—1554. Ad quæ respondet chorus:

«ὄνειδος ἥκει τόδ' ἀντ' ὀνείδους.
δύσμαχα δ' ἔστι κρῖναι.
φέρει φέροντ', ἐκτίνει δ' ὁ καίνων.
μίμνει δὲ, μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διός,
παθεῖν τὸν ἔρξαντα. θέσμιον γάρ.» v. 1553—1557.

Quibus verbis non solum statuit, difficile esse ad diiudicandum, uter utro maiorem in se culpam contraxisse videatur, verum etiam legem illam divinam, qua par pari referendum sit, semper constare prædicat. Vides, facinus eum reprehendere, causam facinoris tacentem comprobare.

Neque vero Clytæmnestra immolationem filiæ unicam cædis causam affert. Nam: «Iacet,» inquit, «hic, qui mihi inussit ignominiam — *γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος* —; iacet Chryseidum ante Ilium voluptas — *Χρυσηΐδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ* —; iacet hæc quoque vates captiva, huiusce (Agamemnonis) pellex fidelis. iacet eius suavium et mihi casu suo deliciarum cumulum attulit.» v. 1430—1440.

Quæ verba quo tendant nemo non cognoscit. Clytæmnestra re vera putat, Cassandram Agamemnonis esse concubinam et non solum violatam matrem, sed etiam uxorem, ignominia affectam, ulciscitur. Aeschylus igitur vatem captivam eo consilio in scenam produxit, ut Clytæmnestram stimulis amoris concitaret et geminæ cædis causam suppeditaret. Agamemnon non solum ante Ilium *Χρυσηΐδων μείλιγμα* est, verum etiam in ipso reditu non potest, quin amoribus inserviat. Prior igitur uxore iura coniugalia turpiter violavit eaque re effecit, ut illa, ignominia affecta, cum Aegistho se coniungeret. Poëta igitur quum Clytæmnestram furore incensam et abreptam, quin adeo duro protervoque animo imbutam in ipso facinore gloriantem fecit, horrenda magnitudine et matrem et uxorem, summopere afflictam, satis hercle tragicum spirantem nobis effinxit. Sed videamus reliqua.

Clytæmnestra tertiam etiam cædis causam affert. Quum enim chorus forte dæmonis cuiusdam mentionem facit, qui in ædes regias irruerit et Tantalidarum (Atrei et Thyestæ) fratres invaserit et victoriam paraverit mulieri, Clytæmnestra: «Nunc tandem,» inquit, «correxisti oris sententiam, quum ingentem illum huius gentis dæmonem (*τριπάχυιον δαίμονα* i. e. per tria genera valentem) incuses. Ab eo enim sanguinem lambendi cupiditas in visceribus alitur, ut, antequam vetus dolor decesserit. novus sanguis profundatur.» v. 1461—1473. Cumque chorus recte ab ea dæmonem illum commemoratum esse dicat nec tamen minus de rege, insidiosa clade peremto, conqueratur: «Recte quidem,» inquit, «hanc cædem meum esse opus contendis, sed noli iam me uxorem Agamemnonis appellare. Nam vetus ille acutusque Alastor Atrei, qui dirum illud convivium fratri paravit, mortui uxoris similis ab hoc pœnam expetiit et virum adultum filiolis iugulatis (Thyestæ) immolavit.» v. 1474—1496. Chorus deinde Clytæmnestram non vacare quidem culpa dicit, sed tamen concedit, fieri posse, ut Alastor ille, paternorum scelerum vindex, eam adiuverit. Neque enim facile hunc dæmonem ex ædibus eiici posse. v. 1498—1501.

Postquam igitur Clytæmnestra explicavit, cur maritum necandi sibi ius potestatemque datam esse putaverit, chorus inops consilii (*ἀμηχανῶ φροντίδος στερηθείς*) etsi negat facinus per illam iure perpetratam esse, tamen sensim sibi persuadet, Agamemnonem sua et patris culpa occidisse habetque in optatis, ut Alastor ille, Pelopidarum stirpi agglutinatus ex ædibus regiis expellatur. Etiam Clytæmnestra quidlibet vult perferre, modo sibi contigerit, ut insanias mutuarum cædium ex ædibus eiiciat efficiatque, ut vetus acerbusque Alastor in aliam familiam transeat. Sic animorum motus paulatim eorum tranquillitati cedunt. —

Sed non acquiescimus in Clytæmnestræ argumentatione. Hæc quo iure pro Thyestæ filiis, ab Atreo iugulatis, maritum necat? Verum quidem est, poëtam vel maximam vim Atrei flagitio tribuisse. Tam sæpe enim et a Cassandra et a choro ipsaque a Clytæmnestra commemoratur tamque vulgata erat illa Atrei fœditas, ut dubium non sit, quin Aeschylus scelerum, quæ deinceps sequuntur, seriem ad illam potissimum *πρώταρχον ἄτην* retulerit. Adde quod poëtæ nostro numinis divini iustitia sanctissima et, ut ita dicam, severissima est, quæ talem noxam impunitam manere prorsus pati non possit, imo par ut pari referatur inexorabilis expostulet. Nihilo minus nostro iure quærimus, cur Clytæmnestra se illud Atrei flagitium ulciscendi partes veterisque Alastoris personam susceperit. Brevi præcidam. Non Clytæmnestræ, sed Aegisthi *τριπάχνιος ἀλάστωρ* (malus genius) de Atreo sumit vindictam, Aegisthi, inquam, corruptoris, qui Clytæmnestram, iam alio vulnere ægrotantem, exhortando ita stimulavit, ut hæc quasi cæca pravo illius genio inserviens alienam causam se suam fecisse mentiri non dubitet. —

Aegisthus simulac in scenam prodiit, scelera choro enarrat, quæ Atreus olim perpetraverit. Quo facto: «Hasce igitur,» inquit, «ob causas illum (Agamemnonem) sic prostratum videre licet. Ego vero iustus cædis huiusce auctor sum.» Sed quænam sunt illa scelera, quæ se ultum et persecutum dicit? «Atreus,» inquit, «huius terræ rex, Thyesten, meum patrem, de imperio cum eo certantem ex urbe eiecit. Nec tamen id satis visum est iniuriæ. Quum enim hic redux ad aram domesticam salutem petens confugisset, ille simulans, se diem festum epulis hilariter celebraturum esse, vocavit supplicem eique donorum hospitalium loco, diras dapes, filiorum iugulatorum carnes, comedendas proposuit. Qua re comperta pater totam Pelopis progeniem exsecratus est. Adde quod ipse hic, quem vides prostratum, me tertium filium, qui supereram misero patri, in fasciis tum cubantem, ædibus urbeque expulit. Verum adultum reduxit iustitia. Ego perniciosi consilii rationem inveni.» v. 1570—1601.

Sic igitur Aegisthus de filio patris haud naturalis et crudelis vindictam se sumsisse contendit. Recte eum egisse, chorus ne verbo quidem tangit, imo parricidæ, cui timiditatem et ignaviam insuper exprobrat, pœnam lapidationis comminatur. Qua re iratus ille chorum se catenis fameque domiturum iactat. Iam ad vim spectare res videtur. Tum vero Clytæmnestra et Aegisthum et chorum admonet, quoniam satis iam sit calamitatis, ut in posterum a vi et cæde abstineant. Quo facto chorus sperans, fore, ut Orestes, Agamemnonis filius, aliquando redeat, Clytæmnestram gallinam, Aegisthum timidum gallum appellans, in urbem discedit. —

Hæc habui, quæ dicerem de fabulæ argumento. Restat, ut inquiram, qua in re totius tragœdiæ vis interior posita esse videatur. — Aeschylum primum ut vere philosophum fabulas suas ad certam quandam disciplinæ formulam composuisse et in faciendis tragœdiis nulla alia re nisi honestate ductum esse supra dixi. Is fabulis, quas composuit, graves quasdam sententias, quibus cives sui meliora edocerentur et de vita recte instituenda monerentur, expressas esse et sub oculos spectatorum subiici voluit. Quærendum igitur est, tres illæ tragœdiæ, quibus Orestiæ nomen est et quarum ego primam accuratius indagandam suscepi, quas potissimum sententias premant et sub aspectum proponant. Deinde autem monstrandum est, quomodo poëta de causa cuiusque personæ, in scena agentis, cogitaverit.

Ex Aeschyli sententia numinis divini inexorabilis est iustitia, quæ ullam rerum ordinis perturbationem vel æqui legis violationem inultam esse pati prorsus non potest. Ergo qui facit et peccat, is pœnas luat necesse est, ut par pari referatur. Quin imo filii, nepotes, pronepotes delicta maiorum suo interitu luunt, nisi forte dei alicuius gratia ac favore culpa tandem liberantur. Hanc suam de ordinis divini et æqui æterna legis conservatione opinionem quum ceteris, tum illi, quam dixi, trilogiæ, tam sæpe intexuit, ut dubium non sit, quin eam spectantibus fabulam summi quasi dogmatis loco esse voluerit. Deinde vero, quod noster ille præclare monuit:

„Das eben ist der Fluch der bösen That,
Daß sie fortwährend Böses muß gebären,"

id iam Aeschylus et prolocutus est et quum aliarum, tum vero gentis Pelopidarum tristibus fatis præclarius etiam demonstravit. De huius sententia quævis calamitas, quæ in singulos homines vel etiam in totam aliquam familiam irruit, a noxa quadam originem trahit, quæ nondum expiata est. Ergo qui vult vitare calamitatem, is flagitium aut a se ipso aut a patre, avo, proavo commissum expiare debet. Quod ni facit, obnoxius est periculo, ne et ipse et tota sua familia miserabiliter tandem cadat atque pereat. Dum autem homo expiat primam aliquam noxam, quamvis liberi compos sit arbitrii, tamen impotens perturbatos animi motus cohibendi, mente obcœcata rectum agendi modum egreditur novamque in se culpam contrahit. Ita sæpe in tali familia continuatio quædam seriesque noxarum indeque orientium calamitatum, quæ ipsius familiæ ἄτη est, exsistit et in perniciem usque adducit. Hæc Aeschylus, hæc eiusdem ætatis sapientiores homines credebant. Quid Christiani? Etiamsi non hæc quidem, at horum similia. Quam enim culpam auctores totius generis humani commiserant et quam hereditate posteri acceperunt, ea, priusquam per nostri periculi vindicem redemptoremque mundi expiata esset, nonne eo valebat, ut vel ipsam imbecillitatem bonum faciendi in hominibus gigneret ob eamque causam necessario eos corrumperet et in perniciem adduceret? Verum hæc missa facio; illud quæro, unde veniat, ut homo rectum faciendi tam sæpe impotens modum præscriptum egrediatur. Qui sacris christianis imbuti sunt, non ignorant, illam, quam dicimus, concupiscentiam, huius rei esse causam. Quid Aeschylus? Is de Alastore quodam cogitavit,

qui de eadem stirpe homines ad novam semper culpam compelleret atque pelliceret. Hic autem Alastor, ut verbo proprio declarem, non est alius, nisi is, qui non obliviscitur. Cumque eius propria natura in eo cernatur, quod non obliviscitur efficere, ut bona in homine natura comprimatur et prava peccandi voluntas exsurgat, vere nihil est aliud, nisi et cuique homini et toti alicui stirpi inhærens malus ille genius, qui non potest, quin ad nova semper mala patranda facinora, primo flagitio similia protrudat. Hunc dæmonem qui non oppugnat, quum pro libero suo arbitrio possit, sua ipsius culpa occupatus est et pœnas det necesse est, nisi forte deus quidam vindex periculi se interposuerit. In Pelopidarum gente qualis Alastor ille appareat, nunc videamus.

Pelops, Tantali, Phrygiæ regis, filius, Oenomai, Pisæ regis, filiam, cui nomen Hippodamiæ erat, in matrimonium sibi petebat. Quum vero Oenomaus illi tantum filiam uxorem dare vellet, qui se cursu equestri superasset, Pelops Myrtilum aurigam pretio mercatus quum ab Oenomao victo præmium victoriæ Hippodamiam accepisset, revertens in Phrygiam, ne, quo dolo vicisset, proderetur, ingrato animo aurigam in mare præcipitavit. Quo facto Myrtilus moribundus Pelopem eiusque stirpem exsecratus est. Pelopis et Hippodamiæ filii, Atreus et Thyestes, postquam Chrysippum, fratrem germanum, e medio sustulerunt, ipsi postea de regno certant. Thyestes, ut e grege Atrei aureum agnum, cuius ex possessione Argorum et Mycenarum regnum pendebat, auferret, quo facilius, quod vellet, consequeretur, Aeropam, fratris uxorem, corrupit eique stuprum obtulit. Quam ob rem in exsilium missus quum non multo post supplex ad aram domesticam confugisset, Atreus, infamiam a fratre illatam ulturus, supplicem ad cœnam vocavit eique filiorum eius iugulatorum carnes comedendas proposuit. Qua re comperta Thyestes totam Pelopis progeniem exsecratus est. Huic postero tempore alius etiam filius nascitur, nomine Aegisthus. Sed etiam hic, ut ipse narrat, ab Agamemnone, Atrei filio, in exilium mittitur. Vides, Pelopidarum gentis socii quo Alastore huc usque sint imbuti. Fraudant necant, veluti Pelops; corrumpunt mœchantur, velut Thyestes; ulciscuntur fœdeque iugulant, veluti Atreus; in exsilium eiiciunt, velut Agamemnon. Pelops quas culpæ pœnas pependerit, latet; Thyestes suas et exsilio et diris dapibus ipse solvit. Inde intelligitur, cur Aeschylus *πρώταρχον* illam *ἄτην* non ad Pelopis neque ad Thyestæ flagitium, sed ad Atrei fœditatem potissimum retulerit. Nam eius crimen nondum erat expiatum. Huius culpam suscipit Agamemnon et ut filius pro patris delicto pœnas persolvet. Nec tamen potest quisquam luere, qui nullius culpæ ipse reus est. «*Μίμνει γὰρ, μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διός, παθεῖν τὸν ἔρξαντα.*» cfr. Agam. v. 1553, 1521; choeph. v. 311 sq. — Agamemnon quidem Aegisthum, qui solus patri supererat, exsilio multavit, sed hæc culpa ad cædem illius excusandam non sufficit. Postulat enim ars tragica, ut inter culpam eiusque pœnam iusta quædam intercedat ratio. Quam igitur quo Alastore pelliciente culpam in se congessit? Vidimus eum flagrantem ulciscendi et gloriæ cupiditate, insignem crudelitate haud naturali, nutrientem Chryseidum amores. His genii sui stimulis irritationibusque non resistens propter infidelem dissolutamque mulierem stultam contra Troiam expeditionem suscipit, qua ut absisteret, prodigiis nutuque deorum satis superque monitus erat. Multorum in

aleam dat sanguinem et ne filiæ quidem vitam dare recusat, ut, quod sibi proposuit, assequatur. Qua in re quanta fuerit animi duritie et crudelitate, e versibus 230—245 videri licet. Nam preces patrisque invocationes filiæ nihili facit belli cupidus rex, quin ipse popas filiam, vestibus involutam, omni vi pronam attollere orisque pulchri vocem cohibere iubet. Adde, quod totius terræ troianæ semen exstinctum voluerit et ne aris quidem deorum templisque pepercerit. Quid tandem de incestis eius amoribus dicam? Ne multa. Agamemnonis culpa gravissima est nec potest manere inulta. Eius vindictam expetit Clytæmnestra. Hæc iam propter filiam immolatam odio a marito dissidebat. Id non latebat Aegisthum. Is igitur quum lentiorem Troiæ urbis oppugnationem esse non ignoraret, ut, qua stimulabatur, regnandi cupiditatem saturaret, timidus quidem, sed veterator, nec ignarus, blanditias maxime ad muliebre ingenium efficaces preces esse, in Clytæmnestræ familiaritatem se insinuabat. Quæ etsi ab initio generosa et casta erat, tamen temperare sibi tandem non potuit, quin clandestinis nuptiis cum versuto homine se coniungeret. Ecce alteram Helenam, gentis suæ Alastore pellectam! Verum quidem est, animum eius maternum dira illa filiæ immolatione gravissime afflictum fuisse; sed nunquam crediderim, odium eius eo usque fastigii perventurum fuisse, nisi per Aegisthum in stupri turpitudinem incurrisset. Inde autem usque ab hac infamia alia aliam excipit *ἄτην*. Sequitur capitale odium mariti; sequitur ulciscendi sæva cupido; sequitur tandem tæterrima cædes. Sic igitur et Clytæmnestra gravissimam culpam in se admisit, quæ inulta manere non potest.

Quæritur autem, utrum Agamemnonis, an Clytæmnestræ culpa sit maior. Proprium est impotentis animi, ut flagitium honesta præscriptione tegat. Uterque eorum bona fide, ut aiunt iuris consulti, agere sibi videntur. Agamemnon bellum, quod suscepit, iustum et necessarium habet. Quamobrem si regium officium exsequitur, quoniam proditor exercitus fieri non debet, recte agit; si vero immolando filiam naturale pietatis vinculum dirimit, non recte agit, imo maximæ culpæ reus est. Age porro! Clytæmnestra si naturalis pietatis ius sancit, recte agit; reginam vero ipsam civile et regium ius subvertere, non est iustum. Si igitur regem trucidat, non recte agit, imo maximæ culpæ rea est. Denique si rex cum filia regis (Cassandra) et regina cum filio regis (Aegistho) incestam habet consuetudinem, uterque eorum parem in se culpam contraxit. Agamemnonis igitur et Clytæmnestræ causæ omnino pares sunt. Quid sequitur? Easdem iisdem hominibus flagitiosis pœnas esse luendas. Iam igitur quum Agamemnon occidat, quia naturale pietatis ius crudeliter violavit amoremque coniugalem nihili fecit, etiam Clytæmnestræ, quia civile et regium ius crudeliter subvertit neque ipsa quidem incestis amoribus abstinuit, moriendum erit. Quæ nisi moritur, falsum est illud, quod prædicat poëta, par pari referendum esse.

Ex præcedentibus autem manifestum est, Agamemnonem non solum suæ, sed etiam patris sui culpæ pœnam dare debere. Huius culpæ vindictam non expetit Clytæmnestra, sed Aegisthus. Hic quo Alastore impulsus Clytæmnestram corruperit, supra explicavi. Regnandi cupidus homo est, timidus quidem, sed versutus. Suum quidem facinus ad deos, hominum delicta ulciscentes, refert, sed Aeschylum iustam ab eo de Agamemnone

vindictam esse sumptam iudicasse, nunquam crediderim. Græcum est, filio ab eo petendam esse ultionem, qui vel parentibus vel cognatis suis gravem iniuriam intulit; sed iniustum et a more Græcorum alienum est, ab illo filium expetere pœnam, qui nec parentes nec cognatos suos ulla unquam iniuria affecit. Aegisthus igitur sua prorsus agit iniuria, si pro Atrei culpa filium ulciscitur, et ne specie quidem iuris nititur. Quid vero quod se ab Agamemnone exsilio multatum esse dicit? Vidimus, quam impudenter Clytæmnestra mentiatur; quid speramus de eius amatore vitioso? Chorus ut huius verbis fidem habeat, tantum abest, ut populi ei lapidationem comminetur. Esto vero, rem veram esse, quid inde iuris manat? Aegisthus nonne ipse cum Clytæmnestra et illum, quem supra dixi, domus fidelem custodem in vastitatem insulæ et Orestem, Agamemnonis filium, in exsilium eiecit? Maneat igitur, eum ne specie quidem iuris niti, sed sola sua iniuria agere.

Eum sola regnandi cupiditas deinceps ad adulterium ineundum et cædem Agamemnonis patrandam perpulit. Si igitur Agamemnon suam ipsius culpam quamvis dira, iusta tamen morte luit, in eius sorte acquiescimus; pro aliena eum per hominem nequam morti succumbere, horribile est et parum decet tragœdiam. Adde, quod tum demum *λέων* ille *ἄναλκις* ex insidiis prorumpit, postquam Agamemnon necatus est. Quid multa? Aegisthi cum Agamemnone conflictio non est talis, qualem postulat tragœdia. Auctor cædis ut tragœdiæ persona parum agit. Causa, qua se ad cædem impulsum contendit, ut ficta, non sufficit, præsertim quum in Cœphoris non ultor sui et patris, sed adulter et tyrannus appareat. Quæ quum ita sint, dira hæc tragœdiæ pars est et vitio non caret.

Ac ne illud quidem comprobari potest, quod poëta Cassandram pereuntem fecit. Quid enim misera captiva commisit, quo culpæ rea sit? Apollinem, credo, suò fefellit amore ob eamque causam irruit in miseriam. Recte id quidem, sed regis filiam castam esse malle, quam vel Dei alicuius libidinibus inservire, quid hoc est delicti? Dei, non mulieris, voluntatem indignamur. At enim concubina Agamemnonis est. Concedo; sed si potens rex imbecillam captivam incestis amoribus suis inservire cogit, utrum censes flagitiosum? Maneat igitur, Cassandram prorsus insontem interire. Hoc autem alterum tragœdiæ vitium est.

Sed ad Aegisthum redeamus. Si quid video, Orestiæ vis interior in conflictione duarum causarum, quarum altera iusta, altera iniusta est, posita videtur. Ius pugnat cum iniuria haud naturali. Quæ si quasi trutina examinamus, alterum non impar alteri invenimus, id quod, quum de Agamemnonis et Clytæmnestræ culpa quæreretur, satis demonstratum est. Aegisthus autem nullo iure nititur. Is sola vitiositate ductus agit ob eamque rem omnium tragœdiæ personarum maximam in se culpam congessit. Quare si misericordia est ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis, Aegisti, quamvis ultimis suppliciis affecti, ne humanissimum quidem hominem miserebit.

Clytæmnestræ dirum in marito flagitium impunitum manere non potest. Iam Cassandra patri vindicem oriturum esse prædixit. Redux Orestes necat matrem eiusque amatorem. Ambos necari, notissima ab Homero recepta fabula postulat, sed matricidium rei caput est. Etiam Orestes ab una parte iure nititur, ab altera culpæ reus est. Ab Apolline

enim iussus est matri infligere mortem. Si igitur deo iubenti, qui, quid iustum quidve iniustum sit, ipso melius scire debet, morem gerit, recte agit; si vero matris sanguine profundendo naturale pietatis ius violat, non recte agit et culpæ reus est. Qui dum dei voluntate obsequendo salutem sperat, Furiarum permittitur insectationi et diræ obnoxius fit calamitati. Heu miseram stirpem, quæ «incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdin!» Quis, quo finis tandem miseriarum sit, inter ius et culpam disceptabit? Non hercle mortalium quisquam. Hoc nisi dii non possunt. Ecce novus instituitur Areopagus, cuius iudices, si non ipsi dii sunt, at certe homines animo suo deorum consimiles. Minerva, compensans ius cum culpa, suo suffragio iudicum æquat sententias reumque Orestem clementiæ lege absolvit. —

Sic tandem animus noster tranquillatur. Nam homo vere bonus et generosus, qui insons se deorum voluntati permisit, et deorum gratia ac favore culpa liberatur.